Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHYSICA
EXHIBENS

COGITATIONE

DE

ANIMA HVMANA

SOBRIAS

QVAM

PRAESIDE

D. MART. GOTTHEL

LOESCHERO

PHYS. PROF. PVBL. ORDINAR. MED. EXTRA - (
SERENISS. DVCIS SAXOVINAR. PHYSICO PROVIN
CIALI ET H. T. DECANO

P. P.

PETRVS FRIDERICVS KVSCHI

SLESVICENSIS.

AD DIEM IIX. APRIL. A. R. S. MDCCXXIV.
IN AVDITORIO MAIORI.

WITTENBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

I. N. I.

COGITATIONES
DE
ANIMA HVMANA
SOBRIAE.

I.



nimae humanae conſiderationem maxime ad Philoſophiam naturalem pertinere, nemo facile negabit, quoniam homo utpote nobiliſſima Creatura, et ad imaginem divinam condita, etiam nobiliſſimum huius ſcientiae conſtituit obiectum. Hominis vero pars maxime eminens mens eſt, qua ipſi Deus nihil contulit praeſtabilius, et in ea conſilium vitae, regimenque locatum eſſe deprehendimus. Adeo vero arcte cum corpore ſuo eſt coniuncta, ut in eodem non equidem uti in carcere moleſto, uti quidam ſomniant, ſed potius domicilio grato et accommodato habitet,

atque actiones suas et operationes secundum naturam in eo perficiat, imo gravissimos et saepius fere intolerabiles cruciatus aeque ac dolores subeat, in morbis ac tortura civili in foro usitata, quibus facile alias supersedere, atque se ab iisdem liberare posset, si hoc ab ipsius voluntate dependeret. Illa ipsa quoque anima verum atque genuinum est principium vitae, motus et sensus, aliarumque actionum animalium in homine, qui quippe absque eadem in demortuum degenerat cadaver, quando morte appropinquante fatalis et exitialis mentis a corpore contingit separatio. Mechanica enim corporis humani constitutio non sufficit, si in hominis machina exponendum est illud, quod est vitale, sensuale, rationale, et actionum reliquarum in homine fundamentum, sed ad negotium intellectus, perceptionis, voluntatis et vitae humanae longe praestantius, quid requiritur, quam materialis, extensa, passiva et finibus materialibus circumscripta quaedam substantia, quae praestantissimas, eminentissimas et spirituales has actiones praestare neutiquam potest.

II.

De anima itaque hominis rationali, cogitationes sobrias propositiuri ante omnia inquirere debemus in eiusdem rationem et essentiam. Ubi quidem in aprico est, sententias de eadem non ab omni errore esse liberas. Quoniam itaque optandum est, ut mens sit sana, in corpore sano, nescimus, qua amentia capti sint isti, qui plane nullam animam in homine existere, asseverare contendunt, atque vitam otio absque actionibus rationalibus, instar pecorum, transigere malunt,

quam

quam sese a brutis anima rationali distinguere. Antiquissima vero de Essentia animae humanae sententia ex Schola Philosophiae Platonicae nata esse videtur, qua anima humana portio animae totius universi atque mundi esse asseritur. Postea vero missis aliorum antiquiorum Philosophorum opinionibus, Aristoteles triplicem potissimum statuit animam, vegetativam, sensitivam et rationalem, quam animarum differentiam, a triplici viventium genere, plantis, brutis et homine procul dubio desumsit. Postea Cartesius eam dixit esse cogitantem, quia anima humana sua sponte cogitat, et cogitationes animae sua sponte in mente observantur, et perenni atque essentiali quodam modo, ueluti lux igni adhaerent et adsunt. Post Cartesium recentiores varias de eadem opiniones foverunt, alii enim putant eam esse particulam divinam, pari ratione ac Echo a sono procreatam: alii eam materialem esse, hancque sententiam omnipotentiae divinae neutiquam repugnare existimant, potuisse Deum animam cogitantem et rationalem, sub materiali ratione corporibus humanis praeficere. Atque illi aliique huius opinionis Patroni, qui materialem animam statuunt, rationibus nituntur sequentibus: Quoniam anima cum corpore materiali arctissime, tanquam substantia homogenea, esset coniuncta, atque nullos nisi materiales formaret conceptus, et porro proprietates materiae nempe succesionem loci et temporis observaret, et hac ratione sensus motusque in homine, horumque operatio et connexio melius explicari posset. Horum autem opinionem facile redarguit benedictio et voluntas divina, quae homini spiritum seu animam immaterialem inspiravit, qua opus habebat ad vitam,

activitatem et motionem, nec non rationis in homine effectus et phaenomena. Atque si iuxta Cartesium cogitationes sunt de essentia animae rationalis in homine, exponere debet hic acutissimus alias Philosophus cogitationes hominis dum adhuc vitam agit in utero materno, & quando somno profundo sepultus est, ac absque omni cogitatione dormit: cogitationes vero ac conceptus materiales materiae proprietates obtinentes, non adeo ab ipsius animae humane, essentia, quam perpetua a puerili et infantiae aetate, et naturali quasi quadam consuetudine, sunt derivandi. Coeco etiam impetu feruntur isti, qui mentem motum, actum, vim impetumque in corpore humano appellare non dubitant, atque ita optime animae humanae essentiam descripsisse vana persuasione permoti sibi videntur. Quanam vero luce radiet istorum opinio, qui animam nostram lucem esse et ignem, flammulamque vitalem in corde, obfuscato maxime rationis lumine contendunt, in aprico est: ignem enim vitalem et animae in corde nemo hactenus ardere vidit, flammulaque vitali inflammati nunquam extiterunt homines. Si itaque pronuntiandum est, quod res est, anima humana est substantia immaterialis, percipiens, intelligens, cogitans, corpus regens et cum eodem arctissime coniuncta, ut illud, in gravissimis cruciatibus etiam haudquaquam derelinquat, nec nisi morte ab eodem separetur.

III.

Atque adeo circa animam potissimum considerare debemus eius Proprietates, vel, si mavis, affectiones, Affectus sive Passiones, nec non actiones in corpus.

pus. Proprietas animae maxime propria, inprimis quatenus cum corpore humano eſt connnexa, eſt perceptio. Eſt enim perceptio in homine ea animae proprietas, vis atque potentia, qua ea, quae in cerebro ab organis ſenſoriis ipſi repraeſentantur, percipit, et ſe ab iisdem affici patitur. Quae mentis affectio neutiquam cum ſenſu communi ac interno, neque quoque cum ipſo intellectu eſt confundenda. Modum vero, quo anima percipit, ingenue nos neſcire confitemur, inexplicabile enim eſt, quomodo ſpiritus corpus poſſit attingere, et verſa vice corpus ſpiritum afficere.

IV.

Sequuntur Cogitationes quaſi conſequentia Perceptionis. Illae vero ſunt compoſitiones et repetiones illarum rerum, quae animae occaſione ſenſuum externorum proponuntur, ab ipſa mente proprio niſu inſtitutae, atque ab ipſius virtute cogitandi dependentes. *Cowardus*, qui cogitationes materiales ſtatuit, definit eas per continuam idearum in cerebro circulationem, atque per Ideas intelligit ſpecies ſive imagines obiectorum externorum, ab ipſis per organa ſenſoria ad cerebrum delatas, vid. eiusdem *Scrutinium exactum in notiones modernas*. Ut vero ulterius cogitationes materiales eſſe confirmet, exiſtimat, omnes cogitationes a ſenſibus externis exoriri, ipſas a rebus materialibus, nempe morbis cerebri, inebriatione, poſſe immutari, nos vero easdem inter ſeſe permutare, e. g. ut ex triſtibus hilares evadant, non valere, atque tandem animam cogitatione imitari corpora, ſucceſſive et de rebus in hoc vel illo loco exiſtentibus, hoc vel aliud agentibus, vel patienti-

tientibus cogitando. Nactus itaque eſt adverſarium *Iohannem Bronchton*, qui in ſua *Pſychologia* eum inter ipſos Atheos refert. Ipſae etiam *Cowardi* rationes facile corruunt, vel ex hactenus dictis, vel etiam quod anima humana de Deo, angelis, ſcientiis, abſtractionibus universalibus, quotidie cogitationes ſatis diſtinctas et claras ſibi efformet.

V.

Non minus ad proprietates animae pertinet eiusdem cum corpore coniunctio, de qua ſupra diximus, arctiſſima. Quapropter etiam Veteres multa de vinculo mentem cum corpore coniungente poſteritati reliquerunt. Illud itaque communi opinione erant Spiritus animales, et quia intimum ipſis intercederet cum mente commercium, et quia mediae quaſi inter corpoream et incorpoream ſubſtantiam eſſent naturae, adeoque etiam a quibusdam recentioribus Anima materialis, quam cum brutis habemus communem, appellantur. Melius vero haec res hodie explicatur, quippe ubi vinculum adeo arcte animam et corpus coniungens, conſtituitur convenientia actionum animae cum actionibus corporis, ita ut ſibi invicem ad nutum animae reſpondeant. Tamdiu enim anima amice cum corpore coniungitur, quamdiu corpus rite conſtitutum eiusdem actiones recipere, iisdemque reſpondere poteſt.

VI.

Anima itaque cum corpore adeo intime unita, procul dubio etiam ſedem fixam et certam in eodem habet.

habet. Atque hic quidem sententia Aristotelis eminet statuentis, animam esse totam in toto corpore, et totam in qualibet eiusdem parte. Veteres reliqui vel in cerebro, vel in corde, vel cum Helmontio in sinistro stomachi orificio, eam residere credebant, quoniam in his visceribus anima se magis ac in aliis manifestaret. Nos, si menti quaedam sedes in corpore est assignanda, illam cum recentioribus constituimus centrum ovale seu cerebri partem medullarem interiorem, et omnium nervorum principium. Cartesius hic peculiari modo sentit, nam equidem nobíscum consentit, sedem animae esse in cerebro, sed non centrum ovale, verum glandulam pinealem, quae glandula quaedam cerebri dura ac rubicunda est, membrana propria satis crassa et firma iuxta *Ruyschium Thesauro I. et V.* praedita. Reliquas hac de re hypotheses, brevitatis studiosi, praetermittimus.

VII.

Inter proprietates mentis merito quoque recensemus vim illam, qua se multiplicare potest. De qua quidem notandum, quondam in duas partes hac in causa abiisse Philosophos, aliosque per traducem, alios vero per inducem vel novam creationem animam propagari, existimasse. *Dikinsohn Veteri et noua Physica* sibi persuadet, generationem animae optime modo chymico explicari posse, ita, ut ea ex mistione seminum materialium, flammam spiritualem quasi concipiat, pari ratione ac ex connubio Spiritus nitri rectificatissimi et liquidi, et oleo Therebintinae flamma exoritur. At enim vero nos lubenter et hoc igno-

rare confitemur, cum in propatulo sit, eam fieri modo spirituali, adeoque sub conceptu quodam imaginativo ac materialia aemulante neutiquam repraesentari posse.

IIX.

De reliquo etiam anima rationalis peculiari quadam ac excellenti proprietate gaudet, nempe vi divinandi ac futura quaedam naturalia et iuxta naturae leges et consuetudinem contingentia praedicendi. Haec itaque est illa animae potentia, qua in obscura et ignota potest penetrare, eademque explicare, futura naturalia aliquando praesagire, hominum cogitationes revelare, atque eventus sive rerum, sive actionum pronuntiare valet. Hanc divinandi potentiam animae propriam esse, ex eo luculenter patere videtur, quoniam se tunc temporis maxime exserit, quando anima sibi est relicta, et a corpore non adeo afficitur, e. g. in Ecstaticis, et hominibus morti proximis. Accedit, quod anima praeteritorum possit recordari, quidni etiam futura cognoscere posset, cum nihil adeo novi fiat in mundo, cuius idea non sit et notio quoque, qua illa exprimere possemus in anima, uti equidem iudicat *Petrus Petitus Libro de Sybilla.* Addimus, quod quotidie nova inveniantur, de quibus maiores nostri nullam habuerunt notitiam. Haec uirtus animae divinandi etiam in Arte salutari solennis est, atque Medicus eadem ex diligenti phaenomenorum humanae naturae observatione, multa de morborum eventu vel salutari, vel lethali, potest praedicere, diemque ac tempus mortis aliarumque circumstantiarum in morbis occurrentium determinate denominare.

Quo

Quo loco tamen notare convenit, hanc animae nostrae divinandi potentiam, non ultra ſuam ſphaeram eſſe extendendam, atque ad revelationem rerum divinarum applicandam, nos enim tantum de futuris contingentibus, atque quae quotidie fieri ſolent, loquimur, neutiquam vero de futuris inſolitis, divinis et extraordinariis.

IX.

Huc etiam ſpectat Ingenium, quo homo pollere dicitur. Eſt vero Ingenium illa animi potentia, qua aliquis cogitando facile aliquid invenire, atque propoſita ab alio cito capere, et firmiter tenere, ac utrumque horum recto iudicio veluti ad ſtateram examinare poteſt. Producitur ab egregio intellectus, rationis et iudicii temperamento, atque in aliis in minori, in aliis uero maiori gradu obſervatur, pro diverſa nempe ſucci nervei indole, cerebri ſtructura, nec non diverſo vitae genere, et climate regionum, in quibus vivimus.

X.

Operationes animae, ad quas in praeſenti cogitando devolvimur, ſunt eiuſmodi actiones, qua illa ex omni vi ſua ac potentia, atque quaſi cum ipſa ſua eſſentia agit. Earum prima eſt Intellectus, per quem intelligimus illum animi vigorem, quo mens intelligendo in ſe ipſam reflectitur, atque ex occaſionibus cogitandi a ſenſu et imaginatione ſubminiſtratis, proprioque inſtinctu, notiones format varias, iisque collatis inter ſe et comparatis, eo ratiocinando provehitur,

ut non ſolum res extenſas et corporeas, verum ex obſervationibus rerum, per ſingularum inductionem, res etiam incorporeas, et a ſenſibus longiſſime remotas, et nulla imagine ac ſpecie viſibiles et repraeſentabiles, concipit, et, quantum fieri poteſt, apprehendit. Atque ut haec, quae de Intellectu diximus, eo clarius pateant, mens intelligendo triplici ratione operatur. Primo ex cogitationibus a ſenſu et imaginatione, vel animae propria potentia cogitandi ortis, notiones rerum et conceptus format. Secundo has notiones inter ſe confert & comparat, v. c. corporis et ſpiritus, brûti et hominis, corporum terreſtrium et coeleſtium. Tertio horum omnium adiumento, ac obſervatione rerum omnia, et corporea, et incorporea, rite agnoſcit et apprehendit, e. g. ipſum Deum, animam, abſtractiones metaphyſicas, ſcientias et artes. Ex his tribus intellectus operationibus, fluit ratiocinatio et Iudicium. Nam ſi cogitando res animo quaſi libramus et expendimus, ita, ut easdem clare et diſtincte et per ſuas cauſas ac affectiones cognoſcamus, oritur ratiocinatio. Quod ſi uero iisdem cogitationibus verum a falſo, bonum a malo, adverſum a grato, honeſtum ab inhoneſto, utile ab inutili diſcernimus, vocatur haec operatio Iudicium.

XI.

Altera mentis operatio eſt Voluntas, qua ea ſe libere ad illa, quae intellectu concipimus cognoſcimusque, determinat, et, quae nos bene afficiunt, proſequitur, quae contra male nos tractant, fugit et adverſatur. Exinde dependent Inclinationes, quae vocantur,

tur, in ſtudia, artes, voluptates, animique pathemata. De reliquo datur praeſenti ſeculo quoddam Phyſicorum genus, quod praeter duas hactenus allatas animae operationes, etiam tertiam aſſerere vix erubeſcit, qua anima omnes omnino morbos in corpore efficeret. Quae ſi ita ſe habent, poſſumus Eſſentiis, Elixiriis, aquis medicatis, Pilulis, Pulveribus, Emplaſtris et Unguentis aliisque huius farinae remediis carere, atque uno animae ſolatio et remedio omnes morbos facile curare. Cur vero adhuc hodie magna cum fiducia aſſumimus Tincturas Bezoardicas, alexipharmacas, Eſſentias dulces, pulveres vitales, et ſale chymico impraegnatos adeo decantatos, aliaque medicamenta Tartareo nomine clara, quae certe omnia ſpiritum noſtrum rationalem tangere, alterare et corrigere nequeunt. Non immerito forte haec animae operatio comparanda eſt cum veterum qualitatibus occultis, facultatibus et ſpiritibus ſexcentis, egregiumque praebet ignorantiae aſylum. Quippe eiusmodi animoſus et ſpiritualis Phyſicus aeque ac medicus, in exponendis cauſis morborum, parum curat peccantes qualitates in ſanguine, reliquisque humoribus, vitia temperamentorum, errores in victu et amictu. Atque ſi ab ipſo cauſa morborum quaeritur, in promptu eſt anima, quam omnium morborum eſſe parentem audacter pronuntiat. Ita mens ad feces etiam relegatur, ipſique officium portam inferiorem et naturalem occludendi et aperiendi, lotiumque inſigne iſtud Medicorum Veſpaſianeorum fundamentum promovendi, ab eiuſmodi Phyſicis et artificibus Medicis absque rubore demandatur. Nolumus haec latius perſequi atque fabulam agere alienationis mentis, num

iſta ſit intrinſeca et eſſentialis, an vero potius extrinſeca, ipſaque per ſe ſatis ſana tantummodo a corpore in errorem abducatur. Si enim anima delirantium ex morbo acuto per omnem ſuam Eſſentiam delirat, cur remoto morbo corporis febrili delirium ceſſat? cur remedia ex helleboro, ferro aliaque Melancholiam et Maniam mentemque cum triſtitia et furore delirantem quotidie in integrum reſtituunt? atque quae quaeſo eſt affinitas mentis, cum dictis ex Medicina corporea depromtis medicamentis? nulla certe niſi imaginaria, atque ex ſtudio novitatis eiusdemque pruritu exoriens.

XII.

Non eſt animus haec et talia, quae ad praeſens inſtitutum proprie non pertinent, ulterius exponere, ſed progredimur ad affectus animi, qui Carteſio Pasſiones animae audiunt, atque in genere ſunt magnae atque vehementes animae commotiones, cum inſigni ſucci nervei in cerebro et nervis, atque ſanguinis in corde et vaſis ſanguiferis agitatione, aliisque corporis mutationibus et actionibus contingentes. Licet vero horum affectuum magna ſit vis ac efficacia, tamen, ſi cum ratione reguntur, ad conſervationem corporis, et tuendam humani generis ſocietatem praeclare faciunt: ſi vero extra rationis limites evagantur, animum perturbant ac inquietum reddunt, multorumque morborum occaſiones et cauſas praebent. Tres vero palmariae affectuum animi ſunt ſpecies, Admiratio nempe, Amor et Odium. Admiratio ille eſt affectus, quo anima conſiderationi obiecti cuiusdam inſoliti, aut magni, cum maiori attentione nec ſine inſigni

qua-

quadam ſucci nervoſi intra cerebrum commotione, illam mentis attentionem vel excitante vel corroborante, inhaeret. Quod ſi obiectum, quod admiramur, nos bene afficiat, oritur exinde Amor, ſive motus ille atque iſta propenſio animae, cum ſucci nervoſi et cordis, ſanguinisque agitatione, in rem, quae nobis grata et commoda uidetur. Ubi vero ab obiectis male tractamur, illa odio proſequimur, quod eſt averſio et motus contrarius, quo animus a re nobis moleſta et noxia alienatur, cum contraria ſuccorum, partiumque corporis motione.

XIII.

Ex Amore, tanquam fonte, oriuntur iterum alii Affectus, nimirum Cupiditas, Libido, Voluptas, Laetitia, Generoſitas, Superbia, Ambitio, Exiſtimatio, Benevolentia, Amicitia, Devotio, Veneratio, Spes, Gratitudo. Cupiditas itaque in triplici maxime deſiderio conſiſtit, nam vel bonum illud, quod adhuc abeſt exoptamus, vel mali imminentis remotionem volumus, vel conſervationem bonorum, et abſentiam malorum praeſentium deſideramus. Libido eſt recreatio animi, a rebus naturalibus delectantibus, nempe deliciis epularum, et amore ſexus elegantioris. Voluptas vero interior quaedam, dulcis, delicata ac gratiſſima animi eſt commotio, non tantum a rebus materialibus, prout in libidine fieri ſolet, verum etiam a conſideratione rerum immaterialium, ſcilicet ſcientiarum, lectione librorum, profundaque meditatione nec non modis muſicis exoriens. Ex qua iterum Acquieſcentia animae, ſive quies illa, qua anima ſecum habitat,

et dulcedine quadam, quae verbis ſatis exprimi non poteſt, demulcetur, reſultat. Laetitia eſt iucunda animae commotio, ex eo ſuboriens, quod anima bonum ſibi proprium, et in ſua poteſtate eſſe proponit. Atque in ea omnis fructus conſiſtit, quem anima ex poſſesſione bonorum percipit. Generoſitas ſive Magnanimitas eſt liberrima voluntatis diſpoſitio, qua omnia, quae in poteſtate ſua habet, propria voluntate in ſui laudem ac gloriam et proximi commodum diſtribuit. Superbia eſt animae nimis bona de ſe opinio, turgidum faſtum omnia prae ſe contemnentem producens. Ambitio in nimia et inſatiabili honorum cupiditate conſiſtit, qua homo, ut prae aliis auctoritate, potentia, viribus, pulchritudine et honore emineat, magna cum animi contentione allaborat. Exiſtimatio inclinatio eſt animae, ad ſibi repraeſentandum valorem rei aeſtimatae. Atque ſi haec exiſtimatio tanta eſt, ut animus etiam ad ſe rei aeſtimatae ſubiiciendum, cum aliquo timore, et eius fauorem demerendi gratia pronus ſit, oritur exinde Cultus, Veneratio et Deuotio. Benevolentia eſt Cupiditas videndi bonum, evenire ei, erga quem animus bona fertur voluntate, et non immerito pro vinculo ſocietatis humanae habetur. Haec benevolentia ſi ad certam quandam perſonam determinatur, ita, ut cum ea libenter converſemur, absque ea ferme vivere nequeamus, omniaque, quae poſſumus, in eius uſum accommodemus, vocatur hic affectus amicitia. Spes eſt firma atque conſtans fiducia, bonum certe ac, ita, quemadmodum illud exoptamus, futurum eſſe. Æmulatio mentis quidam eſt impetus, qui eam diſponit ad ſuſcipiendas res, quas ſibi ſucceſſuras ſperat, quia aliis easdem bene evenire videt. Gratitudo

tandem

tandem eſt cupiditas, quantum poſſibile illi, quem benefactorem noſtrum agnoſcimus, bona, quae nobis tribuit, ex omni parte remunerandi.

XIV.

Ex odio vero proficiſcuntur ſequentes affectus, nempe Metus, Deſperatio, Terror, Conſternatio, Triſtitia, Ira, Contemtus, Faſtidium. *Metus* contrarius ſpei affectus eſt, ſive talis animae inclinatio, qua ſibi perſuadet, bonum, quod ſperat, non eſſe eventurum et malum quoddam certiſſime imminere. Si metus adeo extremus eſt, ut omni ſpe careat, ſe in deſperationem commutat. Ubi vero malum imminens nimis timet, vel etiam praeſens maiori attentione intuetur, exoritur Terror. Conſternatio denique eſt exceſſus metus, quo anima animum abiicit, et nullum auxilium, malum vel praeſens, vel imminens removendi, adeſſe putat. Triſtitia eſt mentis languor ingratus, ab incommoditate, quae obvenit animae, ex malo quodam, quod anima ſibi repraeſentat ut ſuum. Ira ſeu indignatio palmaria ſpecies odii eſt, qua mens naturaliter fertur in eos, qui aliquid mali faciunt, qualecunque demum illud ſit. Faſtidium tandem anima concipit, ex rei cuiusdam longiori duratione, licet per ſe ſatis bonae, quae res, ſi amoeniores ſunt et animum demulcentes, duratione ſua producunt ſatietatem. Quod reliquum eſt Contemtus, Ingratitudo, Humilitas, aliique Affectus huc ſpectantes, contrarium Exiſtimationis, Gratitudinis et Superbiae prae ſe ferunt.

XV.

Reſtant vero adhuc quaedam mixtae animi paſſiones, in quibus ipſa et bene et male ſeſe habere videtur in contemplatione obiectorum. Tales mixtae Paſſiones animae ſunt Miſericordia, Vindicatio, Invidia, Zelotypia et Pudor. Miſericordia enim ſive commiſeratio eſt ſpecies triſtitiae cum amore permixtae, aut benevolentia erga illos, quos aliquid mali pati videmus, quo eos praeter meritum laborare iudicamus. Vindicatio eſt, per quam vis et iniuria ulciſcendo, et, quod futurum eſt, defendendo propulſatur. Invidia eſt perverſa plane mentis indoles, qua de bono, quod aliis contingit, dolet, et de malo, quo alii vexantur, laetatur. Zelotypia eſt ſpecies metus, coniuncti cum cupiditate ſibi conſervandi boni cuiusdam poſſeſſionem, efficiens, ut examinentur vel minimae ſuſpicionis cauſae, et ſumantur pro rationibus maximi momenti. Caeterum Pudor eſt ſpecies triſtitiae fundatae amore ſui ipſius, procedens ab opinione vel metu vituperii.

XVI.

Quoniam ſupra dictum eſt, ab Affectibus et commodum et incommodum in genus humanum redundare poſſe, operae pretium erit indicare remedia quaedam generalia, eosdem corrigentia iuxta ac in ordinem redigentia. Inter haec primum eſt praeſentia animi, qua nunquam ſe a re vel grata, vel adverſa nimium occupari patitur, ſed ſecum potius habitat, ſibique recte

conſtat.

constat. Secundum esse potest affectus refrenans medium, aversio attentionis et cogitationum a re nos vehementius commovente. Tertium bona suppeditabit educatio, qua in pueritia ab indulgentia in affectus arcemur, coercemurque ne forsan nimis iisdem obtemperemus.

XVII.

Antequam animi affectus prorsus mittamus, videbimus, quid statuendum sit, quando disquiritur, an etiam in homine in utero materno adhuc constituto existant. Affectus vero etiam in foetu dari et adesse, humano, ipsa sana suadet ratio, licet enim ipsi propter defectum obiectorum animam et commoventium et afficientium se non exerant, foetus tamen tanquam homo vivens anima praeditus est, adeoque procul dubio etiam affectus possidet, qui eo tempore multum debent alimento materno, atque pro diversa conditione succi alibilis etiam variant. Deinde quia Affectus ope succi nervei et sanguinis peraguntur, necessario quoque in Embryonum tenellis corporibus eiusmodi mutationes fiunt, quarum occasione variae oriuntur perceptiones animae. Sedulo etiam hic notare convenit, quod, quando succus nutritius bonae indolis fuerit, effectum amoris et reliquos ex ipso promanantes excitare forsan possit: si vero contrarium obtinet hic succus, etiam contrarii atque ex odio proficiscentes exinde profluunt mentis commotiones. Idem enim in homine nato et adulto evenit, qui vel bono et laudabili, vel parco et sordido victu utitur. Nam et cibus, et potus pro diversa sua natura, sangui-

nem reliquoſque humores magis vel minus exſtimulat, atque vario modo diſponit, ut animam etiam moveant, et diuturnitate temporis vel virtutibus vel vitiis adſuefaciant. Unde forte amplius minus mirandum, infantes matrum et nutricum ſuarum indoles aliquando imitari, quoniam ab ipſis infantibus cum lacte ſaepenumero etiam virtutes et vitia inſtillantur.

XIIX.

Actiones animae in corpus maxime ſenſationes et motiones humanas dirigunt. Nam ad perfectam ſenſationem, quae actio animae eſt, qua illa commotiones ab obiectis externis in organa ſenſoria illatas, et motu ſucci nervei ex illis ad cerebrum delatas, ſentit atque percipit, tria requiruntur, obiectum externum ſenſibile organa ſenſoria attingens aeque ac commovens, organum ſenſorium hanc commotionem recipiens, et beneficio proprii nervi ad cerebrum propagans, et ipſa anima hanc commotionem percipiens. Obiecta externa ſunt viſibilia, ſonora, odorifera, ſapida, et quaecunque alia, quae manibus palpare poſſumus. Organa vero habemus quinque oculos, aures, nares, linguam et apices digitorum cum tota extremitate cutis. Quo pacto vero anima obiecta externa, mediantibus organis ſenſoriis percipiat, illud hactenus non adeo perſpectum atque exploratum habemus, ob rationes ſupra de perceptione adductas. Ex his itaque clare patet, quid reſpondere debeamus, quando ex nobis quaeritur, num anima vel corpus vere ſentiat? atque an bruta animalia etiam vere ſentiant? nam in homine ſenſatio neque animae neque

corpori

corpori soli tribui potest, in brutis vero anima rationalis prorsus deficit, cuius tamen praesentia efficit, ut vere sentiamus nos sentire, illudque clare ac distincte sciamus.

XIX.

Sensatio externa, quam hactenus exposuimus, producit internam, quam vocamus imaginationem propterea, quia omne illud, quod per sensus externos animae nostrae proponitur, eaque sensu percipit, interno, mediante imagine persentit. Vocatur alio nomine quoque sensus communis, et duas habet species, Phantasiam et Memoriam. Phantasia est commotio fibrarum cerebri, sive imaginatio continuata, ubi res perceptae varie inter sese componuntur et convertuntur, vel ab ipsa anima, vel corpore, vel occasione sensuum externorum. Memoria vero est eiusdem repetitio, ubi anima data occasione, vel fortuito, vel per se, eorundem, quae percepit, recordatur, similemque commotionem fibrarum cerebri inducit.

XX.

Motio localis denique corporis humani potissimum ab anima proficiscitur, quippe anima influxum succi nervei e cerebro et nervis in musculos excitat, qui deinde iuxta leges Mechanicas agunt, et hac ratione motiones voluntarias et mixtas producunt. Hoc ut rite intelligamus, sciendum, omnem motionem corporis humani et internam, et externam esse triplicem, nempe involuntariam vulgo ita dictam, voluntariam et

mixtam. Involuntariae motiones et actiones plane non ab anima dependere, primo intuitu videntur, quales ſunt circulus ſanguinis, elaboratio lymphae, bilis, lotii, ſucci nutritii, nervei etc. atque hoc ex eo fundamento ita aſſeritur, quia easdem in totum impedire nequit, ipſaeque, ipſa quaſi neſciente, contingunt. Obſtare vero iterum videtur, quod anima in gravioribus animi pathematibus circulum liquoris vitalis purpurei valeat ſufflaminare, eandemque intercipere, ita ut plane ceſſare, deficiente motu cordis et arteriarum, videatur, atque ea propter etiam hic morbus animi deliquium non incongrue vocatur. Accedit, quod in iis, qui moerore et triſtitia anxie laborant, brevi temporis intervallo, etiam extenuatio corporis obſervetur, a nutritione impedita, et ſucci nutritii in partes nutriendas diſtributione turbata, a perturbatione animae dependente. Anima itaque non tantummodo arctisſime cum corpore eſt unita, ſed etiam illius actiones dirigit, ita, ut mens imperet, corpus vero morem gerat. Hoc quoque antiquiores non ignoraverunt, quando hominis formam ſubſtantialem animam conſtituunt. Quod vero attinet ad actiones in homine voluntarias, ſenſationes et motiones animales, de iisdem equidem nemo dubitat, quod ab anima proficiſcantur, uti hactenus expoſuimus in antecedentibus cogitationibus. Atque mixtas hominis actiones, quarum potior, et fere unica reſpiratio eſt, ab anima effici, ſatis abundeque apparet, ſi recte nobiſcum reputemus, illas animae inſervire in voce formanda, et ſenſu odoratus perficiendo quatenus anima in his negotiis aëre opus habet, eiusdemque receptionem et ingreſſum in corpus moderatur.

XXI.

XXI.

Habes igitur, Lector Beneuole, ea, quae hac vice de anima cogitare & disputare apud animum constituimus, quae equidem breviter, pro instituti nostri ratione, et festinante calamo, conscribere placuit, ut uno intuitu Philosophia naturalis sobria, et in compendio de anima humana compareat. Ea vero, quae ad sublimiores mentis operationes spectant, quomodo nempe in cognitione rerum, iisdemque diiudicandis procedat, proprie huius loci non sunt. Placent tamen ea, quae *Franciscus de le boe Sylvius* hac de re de Morbis animi in Praxi medica memoriae prodidit, quae coronidis loco in fine addimus. *Anima ut de ingenii quaesitis, excogitatis et prolatis, an vera sint, necne, certior fiat et secura, eadem incudi subiicienda, et ad veritatis trutinam Experientia revocanda et expendenda iudicio committit. Nam quaecunque constare possunt experienti, uti experientia constare naturalia omnia debent, pro veris, certisque haberi nequeunt, donec accuratum et exactum ipsius examen sustinuerint, et tanquam probata ex eiusdem purgatorio igne prodierint illaesa, pro falsis alias et fictis, uti modo dicebam, habenda. Iudicii autem humani, ut aequus ingenii Iudex habeatur, duo sunt officia et munera, primum rationum omnium ab ingenio allegatarum Expensio accurata; secundum de earundem soliditate, valore ac pondere, Decisio aequa ac iusta. Expendit Iudicium rationes et causas ab ingenio prolatas, quoties, uti referebam modo, similia experimenta instituit artifex, eaque cum Ingenii excogitatis exacte in omnibus confert, atque convenientiam cum iisdem, aut diversitatem inter*

ipsa

ipsa observat et notat. Decidit autem Iudicium, quando rationes ab Ingenio productas cum experientia constantibus vel convenire, vel dissentire, adeoque vel veras, vel falsas esse pronuntiat. Est tamen et alia quoque quam praecedens, multis parasangis inferior Iudicii expensio et decisio: qua ratiocinationis duntaxat ab ingenio deductae connexum examinat; unde ipsum, si cohaerentem ac concatenatum comperiat, probabiles quidem ac verisimiles testatur rationes ab ingenio excogitatas, non autem probatas et veras; donec, uti iam dixi, non semel experientiae examen sustinuerint quod diligenter observasse et notare iuvabit, ne probabile confundatur cum probato, nec vero simile cum vero.

TANTVM.

